

4. Quia igitur qui divitias habent, difficile intrant in regnum celorum; et qui thesaurizant argentum, citius appendunt illud in inanibus, quam in panibus, in azymis dico sinceritatis et veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus paschalis; vos beati pauperes, filii pauperis Crucifixi, vos inquam, qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Promptius omnino et facilius emunt bonum illud nihil habentes, quam multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas, qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum recte invitat Scriptura: *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac (Isai. Lv, 1)*. Vides, o felix pauper, solam a te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercii? Ne recuses ingratus quod tam gratis offertur, imo ne perdas ingrata voluntate, quod jam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, ut partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantae felleitatis sit, non inebriari luxu et furore saeculi, ut cum Christo novum bibas vinum in regno Patris sui. Invitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis et sanguinis sui: *Comedite, inquit, amici, bibite, et inebriamini, charissimi (Cantic. v, 1)*. Cibis iste et potus, vitae est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primae, pignusque secundae, quia divinae plane in nobis initium substantiae. *Participes, inquit Apostolus, Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus (Hebr. iii, 14)*. Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum revertitur, *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Vel certe panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum gratia percepta in poenam conscientiae vertitur, cum sanguis Testamenti, quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, et Spiritui gratiae contumelia irrogatur. Hoc contemptu et nausea divitiae devoratae evomuntur, ita ut de eo qui ejusmodi est, dicatur: *Non remansit quidquam de cibo ejus, et propterea 1002 nihil permanebit de bonis illius*.

5. Videat autem ne forte et ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui, cum per gratiam devotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, ut memoriam abundantiae suavitatis divinae nobis eructet; non saporem in sermonibus, tanquam gustum in faucibus; non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania vel scurrilia revomit, gratiam sibi in iram convertit. Prorsus in iram, et iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexit dicens: *Cum satiatus fuerit, ardebitur, et irruet in eum omnis dolor. Utinam impleatur venter ejus, ut immittat in eum iram furoris sui, et pluat super eum bellum suum (Job xx, 15, 24, 23)*. Justum quippe

A sentiebat atque consentiebat Propheta ut pluat super peccatores bellum, qui ad pluviam voluntariam, fructum pacis non retulerunt; sitque ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indigne biberunt. Terra enim saepe ventilem bibens imbrem, et generans herbam opportunam, accipit benedictionem; proferens autem spicas et tribulos, reprobata est et maledictio proxima; cujus consummatio in combustionem (Hebr. vi, 7, 8). Confidimus autem de vobis, fratres, mellora et vicina salutis. Tantum gratiae Dei grati sitis, et sicut in novam creaturam translati estis paschalibus mysteriis, sic in novitate vitae semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus sancti, initium substantiae ejus non solum usque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulo augere nitimini: ut, qui per tot munerum praerogativas partem habere coepistis in resurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis consignati, jus vobis perpetuum vindicetis in resurrectione secunda, praestante Domino nostro Jesu Christo, resurrectione et vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, jam vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

### SERMO III.

*De vigilantia necessaria ut partem habeamus in resurrectione Christi.*

1. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima (Apo. xx, 6)*. Primitiae dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, quia sua resurrectione, quae prima est omnium, et primam nobis resurrectionem animarum, ut secundam corporum dedicavit; dum in corpore suo, quod suscitavit a mortuis, et animabus sacramentum, et corporibus exemplum resurgendi nuntiavit. Sed et animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio preparavit, dum et quotidie reviviscunt a morte peccati per operationem mysterii, et hodie maxime resurgunt a somno torporis per devotionem gaudii. Quis enim ille tam piger aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, *Resurrexit Dominus, non totus in exultationem suscitetur, non totus reviviscat et recalescat spiritu? Imo et cor meum et caro mea exultaverunt, inquit, in Deum vivum (Psal. lxxxiii, 3)*, qui totus concideram in maerorem ac desperationem, Jesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec parvo fenore gaudii, Jesus mihi de sepulchro redit, dum et Deus vivus agnoscitur, qui paulo ante ut homo mortuus lugebatur, et quem occisum cor meum dolebat, jam in eum vivum non solum cor meum, sed et caro mea exultat, de sua scilicet per eum resurrectione et immortalitate secura. O anima mea, *Ego dormivi et exurrexi (Psal. iii, 6)*, ait Christus; surge et tu, quae dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. v, 14). An non, fratres, mortuo similis, qui adhuc stetit orto jam sole,

qui adhuc negligentia et socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos Sol novus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem reserans aeternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet ultra sol ejus, qui semel occidens, semel ascendit super occasum, mortem sibi subjiciens.

2. O fratres, haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea (Psal. cxvii, 24). Exultemus in spe ejus, ut videamus 1003 et gaudeamus in luce ejus. Exultavit Abraham ut videret diem Christi, et hoc merito vidit, et gravisus est (Joan. viii, 56). Nam et tu quoque si vigiles quotidie ad fores Sapientiae, et observes ad postes ejus, pervigilque excebes cum illa Magdalena ad ostium monumenti ejus (Matth. xxvii, 61), probabis, ni fallor, et ipse cum eadem Maria (Luc. xxiv, 1-8), quam verum sit quod de ipsa Sapientia, quae Christus est, legitur: *Facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quaerunt illam. Praecipat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit assidentem enim illam foribus suis inveniet (Sap. vi, 13-15)*. Sic enim et ipse promisit dicens: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me (Prov. viii, 17)*. Invenit quidem Maria corporaliter Jesum ad quem vigilabat, ad cujus monumentum, cum adhuc essent tenebrae, excubare venerat. Tu vero qui jam non debes nosse Jesum secundum carnem, sed secundum spiritum, spiritualiter nimirum eum invenies poteris, si simili eum desiderio quaesieris, si te similiter pervigilem in oratione adverteris. Dic ergo Domino Jesu desiderio et affectu Mariae: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in praecordiis meis; de mane vigilabo ad te (Isai. xxvi, 9)*. Dic voce et mente Psalmistae: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sicut in te anima mea (Psal. lxxii, 2)*. Et vide si non cum eis tibi cantare congruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua et exultavimus, et delectati sumus (Psal. lxxxix, 14)*.

3. Vigilate ergo, fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti; praesertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux aeterna serenior nobis et gravior ab inferis rediit, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est jam nos de somno surgere, postquam nox praecessit, dies autem appropinquavit (Rom. xiii, 11, 12). Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum preparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se, mysterium suae matutinae resurrectionis saepius innovare. Tunc utique cantabis in júbilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis. Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea (Psal. cxvii, 27, 24)*, cum videlicet lucem quam in manibus abscondit interlucere tibi

A permiserit, annuntians de ea amico quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Usquequo, piger, dormis? usquequo dormitas? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias (Prov. vi, 9, 10, et xxiv, 33); et cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulchro surrexerit, et gloria ejus transeunte, nec posteriora ejus videre merueris; tunc sera poenitentia planges, et dicies cum impiis, *Ergo erravimus a viaveritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis (Sap. v, 6)*. *Vobis autem, inquit, timentibus nomen meum, oriatur sol justitiae (Malach. iv, 2)*; et, *qui ambulat in justitiis, Regem in decore suo videbunt oculi ejus (Isai. xxxiii, 13, 17)*. Et id quidem beatitudo est vitae sequentis, sed juxta quemdam modum indulgetur etiam ad consolationem praesentis, sicut evidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta Sapientia nobis probavit quoniam *dignos se ipsa circuit quaerens, et in viis suis ostendit se illis hilariter, et in omni prudentia occurrit illis (Sap. vi, 17)*. Ut enim Jesus se illam esse sapientiam, de qua haec scripta sunt, ostenderet; et, quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis justitiae se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret, in via hodie occurrit mulieribus a monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emmaus (Luc. xxiv, 3, 4, 13-27).

4. Audiant et gaudeant qui in viis justitiae ambulat; audiant, inquam, quia non solum inhaerentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes juste ac pie vias actionis, Jesus dignatur et occursum et manifestationem sui. Agnoscit, ni fallar, experientia quorundam veterum, quia saepe Jesus quem quae sierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec invenerunt, inasperatus occurrit eis in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, quorum acilicet pedes non tenuerat pigritia, praed desiderio ejus. Noli ergo tu, frater, nimis parere pedibus tuis a viis obedientiae et discursibus operum, quandoquidem Jesus pedibus suis non peperit 1001 propter te etiam a dolore clavorum; et adhuc eorundem amplexu et osculo pedum non gravatur laborem remunerare aut relevare pedum tuorum. Nam et illud quantae consolationis erit, si se tibi viae comitem adjunxerit, miraque delectatione suae sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum, ut intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas et non intelligebas? Obsecro vos, fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio divina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Jesu, eum loqueretur vobis in via, et aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini; credant, et experiri satagant inexperti, ut aliquando et ipsis cantabiles fiant justificationes

Dei, in loco peregrinationis suae et afflictionis.

5. Resurgat itaque ac reviviscat spiritus omnium nostrum, sive ad vigilantiam orandi, sive ad instantiam operandi, ut quadam rediviva ac vivida alacritate probet se de novo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitae in hominem redeuntis indicium est, si strenuus et impiger sit ad actionem; nam perfecta resurrectio ejus est in hoc duntaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non ante promeretur intellectus, quam crebris suspiriis et vehementibus desideriis dilatetur affectus, ut tantae nimirum capax majestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi signanter figuratum arbitror in mortuo quem Elisæus suscitavit, qui cum ad vitam redire inciperet, primo dicitur quia *caefacta est caro pueri*; deinde, quia *septies oscitavit*, et sic demum *oculos aperuit* (IV Reg. iv, 34, 35). Caro pueri, cor carneum est in Christo parvuli, cui prima spes vitae est, si dicere possit: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (Psal. xxxviii, 4).

### IN DIEBUS ROGATIONUM.

#### SERMO

*De pane verbi petendo et apponendo*

1. *Commoda mihi tres panes* Luc. xi, 5). Amici venerunt ad nos de via, sed non habeo quod ponam ante illos. *Non sum medicus, et in domo mea non est panis*: ideo dicebam ab initio, *Nolite me constituere principem* (Isai. iii, 7). Non enim debet praesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem novit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam; sed heu! non audistis me: principem enim constituistis me. Supererat igitur ut, quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, et audirem super hoc illud Sapientis consilium: *Principem te constituerunt; esto inter illos quasi unus ex ipsis* (Eccli. xxxii, 1). Sed vae mihi! neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas non patitur inter alios esse; et sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec praesse, nec coesse; ubi potero esse, nisi ultimum et tutissimum **1005** eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet, imo vera de me sentiendo; nihilque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet praesse cogar officio.

2. Tu, Domine Deus, ipse es qui et subesse moneas, et nihilominus praesse jubes; a te expeto, a te exspecto ut humilem simul et utilem in injuncto me facias ministerio: humilem, vera de me sentiendo; utilem, recta de te loquendo. Illud inspiracordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum et

Quamquam et vestimenta ejus calida sint, cum terra ejus perfusa austro, Spiritu utique sancto, quem verus Elisæus præveniendū aspirat redivivo. Amplius autem et evidentius ad resurrectionem proficit, cum desiderio et esurie quadam justitiæ oscitare frequentius incipit, illo scilicet modo quo oscitabat qui dicebat: *Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam* (Psal. cxviii, 431). Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, ut capacior fiat spiritus vitae, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus et sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est, cum bonus exercetur actus: secundus resurrectionis profectus, cum per orationem dilatatur affectus: perfectio autem, cum ad contemplandum illuminator intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis, fratres mei, resurgere magis ac magis enitimini, si quo modo occurratis, uti Apostolus ait, *ad resurrectionem Christi ex mortuis* (Philipp. iii 11), qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

bene sonantem in apertione oris mei, qui dixisti, *Aperi os tuum et implebo illud* (Psal. lxxx, 11), ut omnis familia tua benedictionibus impleatur. Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos, nisi commodatum fuerit ab alio. Et quis alius æque dives aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum (Rom. x, 12); qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione (Psal. cxliv, 16), qui dat omnibus affluenter et non improperat (Jacobi i, 5), nisi forte illi qui vel pigre petit, vel ingrate definet gratiam quam accepit? Quanti mercenarii in domo Patrisfamilias istius abundant panibus, qui, quoniam Christum annuntiant, licet non sincere, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et ubi abundant mercenarii, nunquid egebunt filii? Tu ergo, Domine (amicum enim dicere vereor, sed Dominum confiteor), *commoda mihi tres panes, unde reficiantur amici, ne, si dimisero eos jejunos, deficiant in via, et tunc vocer in causam pro eis, et dicatur mihi: Parvuli petierunt panem, et non fuit qui frangeret eis* (Thren. iv, 5) Commoda Domine, quod in lucrum tuum proficiat, recepturus utique cum tibi placuerit, quod tuum est, cum usura. Commoda, inquam, tres panes, si placet; aut certe quodcumque placet, quantumque fuerit, etiamsi buccella panis sufficiat in quantalibet millia, si tantum benedicas. Scio equidem quia vis nos esse tibi importunos, ut, licet dissimules, licet excuses, eo quod jam in cælum receptus sis, et Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilomi-

nus perseveremus in petendo, quærendo, pulsando, sciens quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficiamur, sine assiduitate studii et instantia precis, qua importuni videamur. Mihi tamen neutrum suffragatur: solum eorum qui pascendi sunt meritum obtendo: illi merentur quod ego non mereor.

3. Vos autem, fratres mei, usibus quorum, et pro meritis quorum peto panes istos, putatis, sufficimus, sive ego ad frangendum, sive vos ad edendum? Timeo ne dicatur mihi: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (Eccli. iii, 21). Timeo ne dicatur et vobis: *Facti estis quibus opus est lacte, non pane* (Hebr. v, 12). Scio revera panes esse apud Patrem familias, quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quam impleantur ventres, id est ædificentur mentes. Quis enim capiat, quis explicare aut cogitare digne sufficiat illud Trinitatis mysterium ineffabile: quomodo Pater a se, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque, et tres personæ in unitate substantiæ? Mulier insipiens, audax hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cum Deus credendus sit, non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi vero tu insipiens attigeris, quod sublimius est Angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere vel edere? Sufficit mihi scire quia sunt, quia tres panes sunt; non dico Trinitatem personarum, sed trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habendi sunt: tres, inquam, panes unius magnitudinis et ponderis, unius formæ et saporis. Quanta enim et qualia de Patre, tanta et talia de Filio seu de Spiritu sancto sentienda sunt, excepto duntaxat, quod proprietatem discretio numerum facit personarum, sicut in Trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione.

4. Hos ergo panes relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensuræ eorum simus idonei. Multifariæ siquidem aliorum trinitates panum de Scriptura nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati, verbi gratia, ut **1006** nondum lon-

### IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

#### SERMO

*De amore Christi in nos et de nostro in ipsum.*

1. *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo* (Joan. xvii, 11, 12). Hæc oratio Domini habita est ante diem passionis. Non absurde tamen aptatur diei Ascensionis, quando scilicet supremo discessurus erat a filiis suis, quos Patri commendabat. Qui enim in cælis creavit, docet et regit multitudinem Angelorum, in terris aggregaverat sibi pusillum gregem discipulorum sub præsentia suæ carnis erudiendum, quoadusque grandiusculi sensus effecti, disciplinæ spiritus fierent idonei.

gus ab illa summa Trinitate recedamus, quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; quod a Patre creati, per Filium redempti, in Spiritu sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa diei possunt, ut quamlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quam prius inedia: ut copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solum enim ipsum qui fecit nos, et ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam quæ scripta sunt propter nos, describere tripliciter poteris, ut copiosa refectio sit in tribus panibus, historiæ, allegoriæ, et moralitatis. Universa quoque Scripturæ continentia in tres partes divisa, velut in tres panes digesta est, dum aut de naturali justitiâ disserit, aut de litterali, aut de spirituali; id est, ante legem, sub lege, et post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum; lex, etiam actum; gratia autem, affectum. Sed et Doctor et pastor Gentium in fide et veritate, pascendam docet Ecclesiam quadam panum trinitate; ut qui Ecclesiam ædificat, loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem (I Cor. xiv, 3). Ad ædificationem, ut quid agere debeas, noris; ad exhortationem, ut quod noris, velis; ad consolationem, et etiam in adversis possis quod noveris et volueris. Denique non solum in materia rerum, sensibus et partibus Scripturarum, generibus et modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quamdam panum invenies trinitatem, et ipsam quidem sapidam satis et salubrem: fidem scilicet, spem, et charitatem. Eo quippe omnis Scripturarum, vel sermonum intentio spectare videtur, ut credamus, speremus, diligamus. Nam et charitas sola finis præcepti definita est, quæ et ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est. Sed quoniam vitio ducitur longior et varia epulatio, nos finem dabimus lectioni: vestrum erit fragmenta quæ superaverunt, id est subtiliora, quæ manus nostras effugerunt, colligere; simul autem et vestrum et nostrum, ei qui pascit nos cantare, Benedictus Deus in donis suis, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Magnus itaque parvulos magna dilectione diligebat, quippe quos ab more mundi abstraxerat, et relicta omni spe sæculi, de se solo pendere videbat. Quandiu tamen cum eis corporaliter conversari voluit, non facile aut multum hunc suum eis affectum prodidit; maturiorem se eis, quam teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat et patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vincit tenero eorum affectu visus est, ut magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis